

concessione eius¹ et donationibus aliorum Christi fidelium et que in privilegiis singulorum exarata esse dignoscitur. Et primo⁸ tenimentum, in quo predictum monasterium ad honorem Dei et beate Virginis matris eius cum summa est devotione constructum, cum omnibus possessionibus et pertinentiis suis et sequenter omnes terras, quas soror Maria in tenimento Montis Fortis² et Nichite³ obtulit monasterio predicto pro anima sua cum se ipsa; | II item casale, quod dicitur * Racchal Almelu⁴ *, situm in plano Milatii⁴ inter Montem Fortem et Rameci⁵ versus mare, cum omnibus tenimentis, terris laboratorii, territoriis et pertinentiis suis. Preterea statuimus et regali edicto sancimus, ut prefatum monasterium, predicta abbatissa cum successoribus et monialibus suis auctoritateⁱ nostra universa, que habent et possident ex concessionibus predicti regis et aliorum Christi fidelium *et ex confirmatione predictorum augustorum parentum nostrorum*⁶ et que etiam in posterum recto acquisitionis titulo poterunt adipisci, libere et absque exactione aliqua de cetero perpetuo iure possideant. Inhibemus insuper, ut nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis sive aliquis baiulorum nostrorum presummat^k possessiones earum de cetero perturbare vel diminuire aut aliquam angariam eis inferre neque de rebus suis, quas vendunt aut emunt^l, seu de beneficiis ipsarum diricturam aliquam exigere vel extorquere. Si quis autem contra hec, *que diximus*, temere attentare presumpserit, indignationem nostram se noverit incursum. Ad huius autem protectionis, concessionis et confirmationis nostre memoriam et inviolabile firmamentum presens privilegium per manus Robini de Policastro, notarii et fidelis nostri, scribi et magestatis nostre sigillo *cereo* iussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Data in civitate Messane per manus Gualterii de Pallearca^m Dei gratia Chataniensis episcopi et regni Sicilie cancellarii, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nono, mense Augusti duodecime indictionisⁿ, regni vero domini nostri Friderici Dei gratia illustrissimi regis Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue anno duodecimo, feliciter amen.

8) primo E h) über teni *redundante* Kürzung E i) autoritate E k) so E mit der Urschrift der Fälschung R i e s † 25 l) über unt *redundante* Kürzung E m) pallare E. In Originalen meist gekürzt Pal(1), hier emendiert nach BF 615 (Pallearca, Original)
n) indictionis E

1) Behring Nr. 164; vgl. oben S. 142.

2) Vgl. Nr. 1 Anm. 4.

3) Vgl. Nr. 1 Anm. 5.

4) Milazzo (Prov. Messina).

5) Rometta Marea (Kommune Rometta, Prov. Messina).

6) Vgl. Nr. 1 und ebd. Anm. 1.